

1549

pacem præsertim incubuisset, atque summos Reges sæpius conciliare aggressus, nulla itinera, nullos labores, quo publicæ incolumitati prospiceret, reformidasset: ut ad illius gloriam nihil accedere posse videretur, nisi ad domesticam amplificandam, atque evehendam fortunam se totum contulisset, eo usque prolapsus, ut ne rerum quidem publicarum jacturam, dum voti compos fieret, aliquando magni fecerit; quamque per multos annos laudem retinuerat, eam extremo vitæ actu prope amisisse visus est, nunquam prope infelices exitus sortitus, Petro Aloysio filio interfecto, Placentiæ, atque aliis familiæ, ob cujus decus adeo insudaverat, oppidis ademptis, ac omnibus suis consiliis perturbatis, ac prope everfis. In Venetos haud vulgaria benevolentiae signa edidit; Senatus sententiam in gravissimis negotiis exquisivit, ac magni fecit; cujus obitus eo magis molestus, atque inopportunos fuit, quod iis diebus contigit, quibus in gaudium, ac voluptatem effusa civitas Ferdinandi Austriæ Archiducis, Ferdinandi Romanorum Regis filii, adventum præstolabatur; cujus sororem Catharinam cum Franciscus Gonzaga, Mantuæ Dux, uxorem duxisset, Paulum Theupolum, Stephani filium, tunc Sapientum ordinum magistratum gerentem, ad eum legatum Senatus miserat, ut congratulationis munere publico nomine fungeretur. Cum vero Ferdinandus spectandæ maritimæ urbis desiderium per Nicolaum Madrutium, Christophori Cardinalis fratrem, Theupolo significasset, Patres liberaliter per oratorem invitarunt. Regis Romanorum filii, atque aliorum Germanorum Principum adventu egregii summo studio apparatus instituti: nihil, quod ad publicum splendorem, ac magnificentiam in iis excipiendis declarandam attineret, prætermissum: comitia, subfeliis amotis, regio cultu exornata; naumachiae institutæ; scenæ extructæ, nobilium juvenum manu iis in rebus curandis occupata: quæ omnia repentina Pontificis mors intervertit; ea namque audita, Cardinalis statim Romam ad Comititia contendit; Ferdinandus, Senatui per literas amplissimis gratiis actis, in Germaniam rediit.

*Francisci
Gonzage
Mantuæ
Ducis cum
Catharina
Austriaca
nuptia.*

*Paulus
Theupolus
ad Ferdinandum,
Ferdinandi
Regis filii,
orator.*

*Ferdinandus
filius Vene-
tius magni-
fico excep-
tus.*

At Pauli obitu dissidia in Gallia Cifalpina oborta recrudesce-
scere; Cæsareani, ac Galli milites cogere; omnes ad urbem
Parmam oculos adjicere; nam Farnesio, penes quem magna